



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quod voluntas bona quatuor gradus habet, & vt nos diuinæ voluntati
conformare debeamus. Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

& nolle, vt liberè se penitus offerat diuinæ voluntati tam in voluto, quàm in modo volendi, vt illius beneplacitum semper sit ei summū desiderium, tam in aduersis quàm prosperis, sedulis precibus ac viscerosa quadam dulcedine replicans cum Dauid: *Paratum cor meū De-* Psal. 107.
Obedientia
Abrahæ,
Gen. 22.
us, paratum cor meum, scilicet tam in aduersis, quàm in prosperis. Quod eleganter Abraham ostendit, iustus immolare filium, & sine retractione cordis, sine mora temporis, media nocte consurgens, se præparauit ad perficiendum voluntatem præcipientis. O quicumq; es verus amicus Dei, vade, & factu similiter. Hortatur enim ad hoc nos omnes Apostolus, dicens: *Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi, & ambulato in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis.* Talis enim conformitas in dilectione cum Christo, maritat animam Verbo, vt dicit Bernardus, quando scilicet anima, cui similis est per naturam, etiam se similem exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est, vt sic vnum velle & nolle faciat vnum spiritum è duobus. Veruntamen (vt dicit Hugo) non secundum momentaneos affectus æstimanda est talis vnio amoris & voluntatis cum Deo, sed potius secundum continuam voluntatis humanæ qualitatē. Suam enim voluntatē Dei voluntati coniungere, vt quæ diuina voluntas præcipit, his voluntas humana inhæreat, vt nulla sit alia causā cur hoc vel illud velit, nisi quia hæc velle Deum cognoscit: hoc vtique Deum amare est.

Quod voluntas bona quatuor gradus habet, & vt nos diuinæ voluntati conformare debeamus. Cap. X.

R *Eti diligunt te.* Hugo in tractatu de amore: Voluntas, inquit, nihil aliud est, quàm amor: nec aliud dicendæ sunt bonæ vel malæ voluntates, quàm boni vel mali amores. Voluntas autē bona charitate formata, secundum duo quidem est iudicanda, scilicet secundum passionem & actionem, vt si ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter, imò libenter sustineat; & ea, quæ iusserit, feruenter impleat. Hinc sponsa in Canticis, præuidens oblationem propriæ voluntatis Deo quidem gratissimam, & homini utilissimam, sed difficilem, vt vnus cum sponso spiritus fiat, sentiens cum eo vnum velle & nolle, diuinum petit adiutorium, dicens: *Traheme post te.* Nam paucissimi sic trahuntur, quod sponso perfectè coniungantur, Sed secundum Bernardum, quatuor gradus, bonæ voluntatis Voluntas
quid.
Cant. 1.
Gradus vo-
disting-

luntatis
quatuor.
I.

Rom. 7.

Coactio
voluntatis
duplex.

Lucæ 14.

Math. 26.

Iacobi.

Sapien 9.
Rom. 7.

distinguntur. Primus enim gradus dicitur voluntas recta. In quo gradu ipsa anima mēte quidē legi Dei consentit, sed adhuc carne repugnante, bono quod diligit, ipsum bonū perficere nō inuenit. Sed e contra sēpe malum, quod odit, per infirmitatem perficit, prout ad Romanos dicit Apostolus: *Condelector, inquit, legi Dei secundū interiorē hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meae, & captiuantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Vbi rationabiliter quæri potest: Vtrum in homine cadere potest coactio voluntatis, sicut hæc verba sonare videntur, vbi & additur: *Non enim quod volo bonum, illud facio; sed quod nolo malum, hoc ago:* Ad quod respondet Alexander de Hales in secunda parte Summæ, quod duplex est coactio. Vna, secundū quod pati vel agere dicimur aliquid, quarum passiva sit simpliciter absque voluntario consensu patientis. Est enim sic dictū inuoluntariū per violentiā, cuius principiū est exterius eo nihil conferente qui patitur. Et hoc tam ad bonū, q̄ ad malū. Vnde hoc modo non potest esse meritoriū ad bonū, nec demeritoriū ad malum, Alio modo coactio respicit agere, vel pati mixtū ex voluntario & inuoluntario. Et hoc modo potest esse coactio meritoria ad bonū. De qua scilicet Dominus dicit apud Lucam: *Compelle intrare.* Hæc enim habet aliquid de voluntario ad bonum, ratione cuius dicitur meritoria. Vnde inquit Bernardus. Hoc intēdit Deus, cūm terret aut percurrit, vt faciat voluntarios, non vt saluet inuitos, quatenus dum de malo in bonum mutat voluntatem, transferat libertatem. Potest enim coactio talis esse demeritoria ad malum, sicut illa, qua Petrus Christū negauit, habet aliquid de voluntario ad malum, ratione cuius dicitur demeritoria. Vnde denuo Bernardus: Est compulsio quædam actiua, sed non habet excusationem, cūm sit voluntaria. Cogebatur Christianus negare Christum, & dolens, sed tamē non nisi volens: Volebat enim gladium vitare ferientis, atque illa voluntas intus residens, os aperiebat, non gladius qui foris apparebat. Veruntamen illa coactio, qua dicitur aliquis *abstractus & illectus à concupiscētia sua,* & qua corpus, quod corrumpitur, *aggrauat animam,* & qua quis facit quod nō vult, sed quod odit, non est coactio, sed quædam inclinatio voluntatis per pondus corruptionis concupiscēntialis, qua captiuatur illa voluntas recta, vt agat, quod odit. De qua tamē dicit Bernardus: Bonas dico animas non solū perfectas, sed etiam incipientes, quæ licet vitium habeant, nō tamen consentiunt, sed repugnant. Et tales animæ, licet ex ignorantia vel infirmi-

firmitate sepe cadant, tamen per bonam voluntatem, quam habent, resurgunt. Hæc enim est quæ bonam facit animam. Hæc Bernardus.

Secundus gradus dicitur voluntas valida, qua scilicet animus non solum malum quod odit non facit, sed etiam bonum quod diligit, licet cum grauedine, fortiter tamen facit, dicens cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Vnde dicit Augustinus, quod victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei, in isto certamine adiuantis.

Tertius gradus dicitur voluntas deuota, cum scilicet iam corde dilatato per charitatem, currit *viam mandatorum Dei*, & delectatur in eis, sicut in omnibus diuitijs. Hæc enim voluntas non est tantum recta, volens bonum, & sancta, scilicet volens bonum propter bonum; sed etiam deuota, utpote parata propterea subire omnia aduersa, vel incommoda. Vnde dicit Apostolus: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Et iterum: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Quartus denique gradus dicitur voluntas plena & perfecta: in quo gradu sunt Angeli, & Beati, qui semper ea felicitate, qua bonum volunt, plenarie perficiunt. Quem gradum anima quidem desiderare potest, sed ascendere non potest in corpore mortali, eo quod corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam. Qui igitur nondum rectam habet voluntatem, sciat, secundum Bernardum, quod impedit eum carnalis intentio. Qui autem habet rectam, & non validam, sciat quod impedit eum mala consuetudo. Qui habet deuotam, & nondum plenam, sciat quod impedit eum terrena inhabitatio. Hæc ille.

Ad sciendum denique qualiter voluntatem nostram diuinæ voluntati conformare debemus, dicit Alexander de Hales, quod illa conformatio quadrupliciter attendi potest, secundum quatuor genera causarum. Primo, in volendo quod Deus vult, quæ est conformitas materialis & imperfecta, quia sic mali & etiam demones velle possunt quod Deus vult, sed intentione peruersa: utpote Deus voluit probare Iob ad coronandum, eum probatum voluit & diabolus, sed ad deiiciendum & vincendum per impatientiam. Secundo verò, in volendo quod scimus Deum velle, quæ est conformitas in ratione causæ efficientis, & est etiam imperfecta, quia scimus quidem Deum velle quod faciamus bonum & facimus, sed in peccato mortali, & sic in peccato existentes, voluntatem suam voluntati diuinæ conformare possunt, non solum

II.
Voluntas
valida.

Philip 4.

III.
Voluntas
deuota.
Psal. 113.Rom. 8.
2. Cor. 7.IV.
Voluntas
plena.

Sapient. 9.

Voluntati
Dei quo-
modo con-
formemur.

I.

II.

- ¹⁴⁰
Velle quid. in volendo quod Deus vult, sed etiam in volendo quod sciunt Deum velle. Pro quo nota quod voluntate rationis tenemur velle quod sci-
mus Deum velle, sed non voluntate sensualitatis. Sic enim Christus se-
cundum voluntatem rationis voluit mortem suam, sed non secundum
sensualitatem. Et beata Virgo secundum voluntatem rationis voluit
mortem Filij sui, sed non secundum voluntatem sensualitatis, secun-
dum quam plurimum doluit. Non enim ei congruebat non dolere de
morte Filij sui. Ratio tamen dupliciter considerari potest. Primò, vt
I. natura, & sic semper appetit bonum aeternum, sicut Apostolus cupie-
bat *dissolui*, quod tamen Christus non voluit. Secundo modo, vt ratio,
II. & sic semper appetere debet Dei voluntatem, & ei se cõformare, quia
Philip. 1. perfecta charitas semper vult voluntate deliberata rationis, quod scit
Deum velle, si tamen congruit ei illud velle. Nam si ei non congruit,
tunc nõ tenetur, etiã secundum deliberatã voluntatẽ rationis, quia De-
us hoc non iubet eum velle. Exempli gratia: Vult Deus mortẽ patris
eius, non tamen vult Deus eum velle mortem patris sui. Nam motus
charitatis secundum perfectionem quæ erit in patria, & à paucissimis
cõprehenditur in via, est non velle contrariũ eius quod scimus Deum
velle, quia in patria nihil volumus, nisi quod Deus volet. Sed chari-
tas secundum debitum & conuenientiam in via, & nõ velit, quicquid
III. Deus vult, tamen vult quicquid scit nos Deũ velle. Tertiò, in volendo
vt Deus vult, quæ est conformitas formalis. Exempli causa: Deus vult
quod exerceantur opera pietatis cum pura conscientia, quod perficit
in gratia constitutus, sed fortè ex compassione naturali tantum: & sic
non meretur, nisi quartum addatur. Quartò, deniq; in volendo ad
III. quod vult Deus, quæ est cõformitas in ratione finis, quæ perficit con-
formitatem formalem, quantum ad intentionem finalem, vt faciat pro-
pter amorem Dei totaliter, vel principaliter. Quæ duo vltima suffici-
unt ad conformitatem voluntatis. Sed omnia hæc quatuor quando
concurrunt, tunc est conformitas perfecta cum voluntate diuina.

*Quod recta voluntas omnia rectificat, & de perfecta conformitate
voluntatis humane ad diuinam, tam in via, quam
in patria. Cap. XI.*

Recti diligunt te. In omni creatura, quæ sub cælo mundanis vani-
tibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobili-
us, nihilque Deo similius reperitur. Quapropter summè Deus
ab ho-